

Alte Drucke

**HIER. ZANCHI || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Hardt, 1593

VD16 ZV 27950

DE DISSIDIO COENAE DOMINICAE: QVIBVSNAM IN REBVS ECCLESIAE
REFORMATAE INTER SE CONSENTIANT ET DISSENTIANT: HIERONYMI ZANCHI
Iudicium.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561



DE DISSIDIO COENAE DOMINICAE:
 QVIBVS NAM IN REBVS ECCLESIAE REFOR-
 MATAE INTER SE CONSENTIANT ET DISSENTIANT:
 HIERONYMI ZANCHI

Iudicium.

QVONIAM de iis quæ ad religionem pertinent, nihil in Ecclesia vel docendum, vel instituendum est, nisi quod ex verbo Domini certò scimus, à Domino fuisse vel per se, vel per Prophetas atque Apostolos, in sua Ecclesia priùs traditum atque institutum: Iccirco omnes reformatæ Ecclesiæ, sicut in reliquis, sic etiam in articulo de sacra Cœna profitentur: se nihil nisi iuxta verbum Domini in Scripturis traditum, docere: & protestantur: se nolle vel latum quidem vnguem à verbo Dei deflectere.

Et si igitur, quod ad sacram cœnam attinet: aliquibus in rebus dissentiant inter se: neutra tamen pars damnari potest: quoniam vtraq; pio & sancto zelo affecta, ita verbum Dei amplectitur: vt ei nihil vel adiectum, vel detractum velit. Atque hoc est primum, de quo inter omnes conuenit. Solum Dei verbum sicut in reliquis, sic in articulo de sacra Cœna esse sequendum, ac retinendum. Ceterùm licet, sicut de auctoritate, sic etiam de veritate verborum Domini in sacra Cœna neutra pars dubitet: tamen *ὡς τῆς διανοίας*, seu de genuina verborum Christi intelligentia, vtraq; non nihil inter se digladiata est, & etiamnum digladiatur: Aliis verba Domini simplicissimè sine vilo prorsus tropo esse intelligenda, contendentibus: aliis non posse sine tropo verba Christi intelligi, demonstrantibus.

Et si vero hac de re nondum inter omnes conueniat: in eo tamen quod ex verbo Domini apertum est, hoc est, in summa rei atq; in ipsa substantia: ita omnes inter se consentiunt, vt quod adhuc cōtrouertitur: illud non mihi tantùm, sed aliis etiam ante me nonnullis maximæ eruditionis & probatissimi iudicij viris, inutilis esse contentio, planè visa sit. id quod si per otium liceret, ex diligenti vtriusque sententiæ collatione, planum atque perspicuum fieri, (vt confido) à nobis posset. Quare neq; propter hanc qualemcunque disceptationem (quanquam omnes pij eam vehementer dolent) hæ nostræ Ecclesiæ ita inter se dissentire iudicandæ sunt, quasi alterutra pars perniciosè erret: ideoque à veritate orthodoxæ fidei, in hoc articulo exciderit: & proinde non sit vera Christi Ecclesia.

Vt autem quæ sit summa huius doctrinæ de sacra Cœna, & in quibus consentiant atque dissentiant inter se nostræ Ecclesiæ, perspicuè videas, atque intelligas: quantum mihi in præsentia concessum est: quàm breuissimè explicare tentabo.

Sunt de hac Cœna septē præcipua capita. Vnum de præparatione. Alterum de vsu. Tertium de ipsa alimonia. Quartum de symbolis quibus ceu vasis ipsa alimonia præberur. Quintum de modo, quo hæc alimonia in huiusmodi vasis continetur: seu de vnione ipsius alimonie, quæ est Christus, cum symbolis: id quod alij vocant de præsentia corporis Christi, id est, Christi ipsius in Cœna. Sextum de modo veram eticam in Cœna propositam percipiendi atque edendi, Ac proinde septimum de con-
 uiuiis,

uiuis, seu qui nam ad Cœnam admittantur, & qui non admittantur, qui verè spiritualement escam manducant, & qui non verè manducant.

Atque ut primùm de præparatione dicam: nulla planè de illa inter nos est dissensio. Omnes enim vno consensu, & vno ore ita docemus, antè quàm ad Cœnam Domini accedatur: quisq; (iuxta Apostoli doctrinam) seipsum probet, an sit in fide, & in Christo, necne: seu an vera & viuua, perque charitatem operante fide, ideoque vera resipiscētia (est enim hæc à fide inseparabilis) præditus sit. Constat autem vera resipiscētia, tum viuua & solida admissorum peccatorum cognitione, atq; in conspectu Dei cōfessione, & detestatione: tum verò etiam, firmo deinceps per gratiam Dei, totius vitæ ad legem Dei componendæ proposito: tum denique certissima de remissione peccatorum per Christum, fiducia.

Quod etiam ad alterum caput attinet, quod est de vsu Cœnæ: nulla est controuersia. Omnes enim de vsu eadem iuxta verbū Domini docent: Cœnam Domini in perpetuam passionis & mortis Christi memoriam, esse institutam; nimirum, ut tum prædicatione verbi, tum significatione symbolorum, tum mysterio totius Cœnæ, per Spiritum sanctū adiuti, viuua memoria repetamus: Christum, & suum corpus in mortem dedisse, & suum sanguinem fudisse, propter salutem nostram: idque ut hac viuua mortis Christi recordatione, primùm fides nostra magis ac magis cōfirmetur: nostra scilicet peccata propter Christum nobis esse condonata: ideoque nos tum Dei filios, tum cœlestis regni heredes esse effectos. Ac consequenter secundo loco, ut hinc magis ac magis vera in nobis resipiscētia stabiliatur: nimirum, ut cum simus mortui cum Christo semel, peccato: non amplius viuamus in illo: & cum simus resuscitati cum Christo, deinceps in nouitate vitæ ambulemus: expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, ac proinde postremò ut certi effecti, nos vnum iam esse factos cum Christo, os ossibus eius, & carnem de carne eius: charitatem quoque inter nos mutuam, pacem & concordiam alamus, charitatisq; officia mutuò exerceamus. Summa: in hunc vsu esse institutam Cœnam, ut magis ac magis viuamus in Christo, & Christus in nobis: & hac spiritali alimonia: tum fides de remissione peccatorum: tum spes de æterna vita, & gloriosa resurrectione: tum denique charitas erga Deum & erga proximū in cordibus nostris alatur, sustentetur, augeatur: & tam corpus ad gloriosam resurrectionem, quàm anima ad æternam vitam nutriatur. Est hæc de vsu Cœnæ: omnium Ecclesiarum doctrina.

Venio nunc ad tertium caput: quod est de alimonia, quæ in Cœna præbetur & sumitur. Vno & eodem consensu omnes docent: non phantasticum aut imaginarium: sed verum Christi corpus, & ipsum verū Christi sanguinē, hoc est Christum ipsum, vnà cum toto salutis mysterio, quod in ipsius corpore peractū est: seu cum nouo fœdere quod Deus cum suis electis in Christo iniit, & corpore ac sanguine Christi obsignauit (est enim hoc fœdus inseparabile à corpore Christi, seu à Christo ipso: & finis est totius istius mysterij Cœnæ Dominicæ.) Hunc igitur Christum totum cum ipso fœdere, veram esse, tum animorum ad æternam vitam, tum corporum ad gloriosam resurrectionem, se fumentibus, & verè manducantibus, alimoniā: sicut ipse dixit Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem: & bibit meum sanguinem: habet vitam æternam. Item: qui manducat me: ipse viuet propter me. Item: Ego sum panis viuus: qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane: viuet in æternum. De hoc etiam tertio capite nulla est inter nostras Ecclesias dissensio.

Quartū caput est de symbolis, quibus ceu vasis ipsa vera esca præbetur. Primùm, omnes vno consensu dicunt: panem esse panem, & vinum esse vinum: idq; iuxta Apostolorum, qui tam post, quàm ante, verborum Christi prolationem: panem vocant panem, & poculum, poculum: id est, vinum, vinum. Deinde omnes etiam consen-

tienter

tienter docet: panem hunc & vinum, ita esse, vnum corporis, alterum sanguinis Christi, symbola: vt per illa non tantum significetur: sed etiam verè exhibeatur corpus & sanguis Christi, hoc est, Christus ipse: idque in ipsa tantum Cœnæ actione: iuxta Apostoli doctrinam, qui ait: Panis quem frangimus (scilicet in Cœna Domini) nonne communio corporis Domini est? & poculum cui benedicimus (scilicet in Cœna) nonne communio sanguinis Christi est? Hinc igitur duo consequi: vnum, cum panis in Cœna visibiliter præbetur: ipsum quoque corpus Domini inuisibiliter exhiberi: & cum poculum visibiliter offertur: ipsum quoque sanguinem Domini, inuisibiliter communicari: quia vnum, est *κοινωνία τῶ σώματος*: alterum *κοινωνία τῆς αἵματος*. Alterum: extra actionem igitur Cœnæ neque panem, corporis, neque poculum, sanguinis esse *κοινωνίαν*: quia tunc tantum, & panis *κοινωνία* corporis ab Apostolo appellatur: cum in Cœna frangitur: Et poculum *κοινωνία* sanguinis ab eodem vocatur: cum ei in Cœna benedicimus. Quare extra Cœnam neque panem ab aliis communibus cibis, neque vinum ab aliis communibus vinis differre.

Ex hoc quarto oritur quintum, quod est de vnione escæ spiritualis, hoc est ipsius Christi, cum symbolis. Hoc caput potius ab hominibus inuentum est, quam propositum in Scriptura, à Spiritu sancto. Neque enim in Scripturis vlla aperta mentio est de vnione corporis Christi cum symbolis: vel de præsentia corporis Christi in Cœna. Quamobrem potuisset hæc quæstio sine vlllo Ecclesiæ detrimento omitti: verum homines docti & pii cum edocti à verbo Dei scirent, in iis symbolis, seu per hæc symbola spiritualem escam, & spiritualem potum, nobis à Deo proponi: nec solum proponi, sed etiam vnà cum ipsis symbolis à nobis recipi & manducari: ratiocinati sunt, esse igitur aliquā ipsius escæ & potus spiritualis cum symbolis cōmunionem: seu cum manducetur Christus in Cœna: præsentem igitur esse Christum cum sua carne & sanguine: nihil enim manducari nisi præsens sit aliquo modo, ipsi manducanti. Huc accedebant verba Christi, qui pane porrecto dixit. Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Concluserunt igitur: vel ipse panis est verè & propriè ipsum corpus Christi: (id quod vtrique pars meritò negauit) vel saltem qui ostendit vnum, dedit duo: panem scilicet, & corpus suum: ita vt illud, Hoc, ad duo referatur: ad veram escam inuisibilem, & ad panem visibilem: sed ita, vt de illa quidē nomen *CORPUS* propriè prædicetur: de pane verò impropriè: vt talis sit verborum Christi sensus: Hoc, quod vobis manducandum inuisibiliter do, est propriè meum verum, & ipsissimum corpus. hoc autem quod visibiliter porrigo: est *κατασκευαστός* meum corpus: est enim symbolum corporis. Sed siue hoc, siue alio modo exponas: omnes vno consensu concluderunt: qui dat panem Christus: eundem etiam suum corpus dare. Quare Ecclesiam Christi, & fideles non solum panem: sed etiam ipsum verum Christi corpus in Cœna recipere, ac manducare: id quod certè satis, meo iudicio, esse debuerat in Ecclesia Christi. Ceterum (vt paulò antè cœpi dicere) quidam non cōtenti hac simplici veritate: duo alia etiam intulerūt: vnum, esse igitur aliquam corporis Christi cum pane vnionem: item præsentem igitur esse Dominum cum suo corpore. De vtraque illatione, quid Ecclesiæ senserint: dicam. Quod ad vnionem attinet: omnes consentienter dixerūt: esse vnionem inter symbola, & res ipsas: non quidem physicam, sed sacramentalem. Ceterum hanc locutionē vtrique pars diuersè est interpretata. Vna ait: esse sacramentalem vnionē: quia per symbola, res ipsæ in ea actione iuxta mentē institutoris Christi, significatur & exhibentur: sicut per sceptrum symbolum regni, in ipsa legitima sceptri porrectione, hoc est, cum aliquis inauguratur Rex: ipsum quoque regnum, re ipsa datur. Sicut igitur regnum vnitum esse dicitur scepro: quia cum hoc, illud reuera datur: sic Christi corpus, posse dici vnitum esse pani, nimirum sacramentaliter: quatenus scilicet cum pane, datur reuera ipsum verum corpus Christi: & hanc aiunt sacramentalem vnionem vocari.

Alij

Alij interpretati sunt sacramentalem vnionem esse: quod in ipso pane, & sub ipso pane verè sit corpus Christi: ij tamen negat in pane esse localiter, inclusiue, vel vlllo modo physico: sed interrogati, quomodo igitur? respondent, spirituali quidem, atq; hominibus imperceptibili, & inexplicabili: sed tamen reali modo. Isti dum rotundis verbis docent corpus Christi non esse, aut in loco, vbi celebratur Cœna: aut in pane, & sub pane, vel localiter, vel inclusiue, vel physice, vel denique vlla ratione huius seculi: re ipsa, mihi concedere videntur, totum illud, quod altera pars contendit: nimirum, corpus Christi, sua substantia, seu, vt Scholastici loquuntur, secundum suum esse naturale, non esse propriè in terris: & multò minùs in pane, aut sub pane: sed tantum eo in cœlo, in quod ascendit: quandoquidem nullum corpus, sua substantia propriè in loco nisi localiter esse potest. Dum verò postea contendunt: corpus Christi esse in pane, & sub pane, modo quodam reali, atque ita reali, vt qui tangit panem, tangere dicatur corpus Christi: mihi videntur verbis negare, concesserant quod paulò antè. hoc autem quid est, nisi *λογομαχείν*.

Quod ad alterum de præsentia: quod idem ferè est cum superiori de vnione: omnes vno consensu fatentur & docent: præsentem esse Christum, Deum & hominem: sed vna pars ait secundum diuinitatem tantum: & per Spiritum suum: altera etiam secundum humanitatem, corpus & animam: & cum illa pars excipit: hoc fieri non posse: quia Christi corpus organicum, physicum, finitum est, & finitas habet dimensiones: non posse igitur in multis simul esse locis: Altera respondet: esse quidem corpus finitum: sed tamen quia est vnitum diuinitati *παρακλητός*: esse illud, vbi est ista, vbiq; scilicet. Sed hæc tamen pars ait: non esse vbique localiter: sed repletiue, & personaliter. Qua noua distinctione quid sibi velint: nondum intelligo.

Intelligo quidem, communicatione *ιδιωμάτων*: sicut rectè dicitur: Christum Deum passum, & mortuum esse: ita etiam orthodoxè dici: Christum hominem, hoc est, illam personam, quæ non solum Deus est? sed etiam homo, vbique esset. At corpus Christi, quod vna tantum pars est humanæ naturæ in Christo, sua substantia, hoc est, secundum suum esse (vt loquuntur Scholastici) naturale, quod accepit in vtero virginis, vbique esse: nisi illud ex corpore finito atque humano in corpus quoddam immensum atque monstruosum cogitatione resoluam atque explicem, quod instar aëris omnia repleat loca, percipere atque intelligere minimè possum. Nam etiam Scholastici, secuti distinctionem Innocentij. III. Pontificis Romani, tradunt: Corpus Christi secundum suum esse naturale in vno tantum esse loco, in cœlo: licet secundum suum esse personale nullo contineatur loco: & secundum suum esse sacramentale in multis sit locis, nempe vbicunque Cœna celebretur: idq; non ob hanc causam, quod sit glorificatum aut vnitum Verbo? sed quia in illud in cœlo secundum suum esse naturale manens, mutantur (vt ipsi sentiunt & loquuntur) multorum panum in terris existentium substantiæ. Ceterum isti nostri non mihi videntur de alio esse corporis Christi, quàm de esse naturali disputare. alioqui si alij de esse naturali loquantur? alij verò de esse personali cum Scholasticis intelligant: aperta est *λογομαχία*. Vna igitur pars, illa nempe, quæ apertè non de alio esse corporis Christi, quàm de esse illius naturali disputat (hoc enim solum est verum sicut reliquorum corporum omnium, sic etiam corporis Christi esse) dicit: corpus Christi esse in cœlo, inde iterum tantum re-
liturum in mundum & secundum Petri dictum in Actis 3. necessariò detineri in cœlo, vsque ad tempus restitutionis omnium: non igitur esse præsens in Cœna. Altera respōdet: esse in cœlo: & inde non redire huc vlllo corporali & physico descensu: sed tamen, quæ est ipsius Christi omnipotentia: mirabili & nobis omnino imperceptibili, & inexplicabili, & spirituali, ac diuino modo, etiam esse in Cœna præsens. Quidam etiam ex illis, qui à Lutheri sententia recedere videntur: concedunt aduersæ parti, præsentiam non tantum personæ Christi: sed speciatim ipsius corporis Christi in Cœna;

Cæna: sed de modo præsentia inter hos & illos non conuenit: aliis corpus Christi præsens esse dicentibus: primùm, quatenus Christus suo Spiritu ad nos vsq; descendit, illabitur in nostra corda, eaq; sursum supra omnes istos cælos, vbi est corpus suum, subleuat, suamq; viuificam carnem ibi manentem, nobis communicat: & deinde consequenter, quatenus nos Spiritu, eò vsque euecti, viuificam Christi carnem per fidem recipimus, ea fouemur, alimur, sustetamur: aliis non hoc tantùm modo esse præsentem Christi carnem, nempe spiritualiter per fidem: sed etiam corporaliter affirmantibus: iisdem tamen præsentiam localem negantibus. Omnes igitur fatentur: Christum esse præsentem secundùm diuinitatem: at quidam contendunt, etiam secundùm corpus & sanguinem: quidam ex altera parte negant: quidam concedunt: sed de modo huius præsentia disputant: & quid sit propriè aliquid esse alicui præsens, vel absens: nondum inter omnes conuenit. Duæ verò præcipuè sunt causæ, cur vna pars neget illam, non dico Christi simpliciter, sed corporis Christi præsentiam: quam altera pars statuit: nempe qua dicunt corpus Christi esse hîc apud nos in ipso pane, ac proinde in multis simul locis. Vna causa est: vt retineatur integer articulus de ascensione Christi in cælum, vnde iterùm duntaxat venturus est cum suo corpore. Altera: ne natura & veritas corporis humani, quod finitum est & circumscriptum: destruat.

His duabus præcipuè de causis hæc pars non potest ferre has locutiones: corpus Christi esse in pane, esse multis in locis, vel esse vbique. Ceterùm etiam altera pars admittit: tùm Christum verè ascendisse in cælum, illiusq; corpus esse supra omnes cælos: tùm naturam ipsius corporis veram & integram esse: nimirùm illud finitum, & certis constare dimensionibus, confitendo: sed tamen cum iis duobus non vult pugnare, illud corpus, scilicet Christi etiam esse in pane, & multis in locis simul: ita vt quid sibi velint, prorsus non intelligam. Ergo vt initio huius quinti capitis dixi: potuisset hæc quaestio de vnione, & de præsentia corporis Christi: quæ secum traxit illam aliam de vbiquitate quaestionem: sine vllò Ecclesiæ damno omitti: & vtraque pars posset (meo iudicio) ac deberet, hac simplici ac vera, certa que ex verbis Christi, necessariò illata conclusione esse contenta: nimirùm cum dicat Christus, Accipite, manducate, hoc est corpus meum: & cum Paulus verba Christi interpretans, dicat, panis quem frangimus, nonne *κοινωνία ἐστὶ τῶματος τοῦ κυρίου*? In Cæna igitur non præberi nobis, neque sumi ac manducari à nobis tantùm panem: sed etiam verum Christi corpus, hoc est Christum ipsum: ipsum inquam Christum, verum Deum & hominem: qui mortuus est pro peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrâ: resurrexit inquam cum suo illo eodem, vero, humano ac finito corpore, quod fuerat crucifixum: & cum eodem corpore spectantibus Apostolis, ascendit verè in cælum sursum, vt appareat vultui Dei pro nobis: & sedet ad dexteram Dei Patris: & interpellat pro nobis: & iterùm venturus est iudicatum viuos & mortuos: cuius nos sumus os ex ossibus eius, & caro de carne eius: & qui denique tametsi corpore sit in cælo, hoc est supra omnes istos cælos: in nobis tamen verè per fidem apprehensus inhabitat: & dum illius carne in Cæna vescimur: ipse magis ac magis in nobis viuit, & nos in illo. Hoc vtraque pars confitetur. Et hæc est vera præsentia corporis Christi: ipsaq; vera corporis Christi communicatio atque perceptio. Reliquæ igitur superuacaneæ contentiones potuissent sine vlla fidei Christianæ iactura, omitti.

Sextum quod ad modum edendi hanc spirituales escam attinet: consentienter omnes docent: veram & salutarem edendi rationem esse illam, de qua Ioan. 6. nempe per veram & viuam fidem. Ceterùm ex illa contentione de vnione escæ spiritualis cum suo symbolo, seu de præsentia corporis Christi in pane: quidam præter illam superiorem spirituales, aliam etiam manducandi rationem, nempe quæ fit ore corporis (qua de causa corporalem & oralem manducationem vocant) excogitarunt:

QQQ

corpus

corpus enim Christi in Cœna non tantum fide, sed etiam ore corporis manducari contendunt. Contrà cum alij excipiunt hoc fieri non posse: quod alioqui (præter alia absurda) corpus Christi dentibus comminueretur, in stomachum traiceretur, & per secessum iret: quæ de ipso Christi corpore, præsertim immortalis, incorruptibili, glorioso, nullo modo dici possunt: respondent isti: Etsi ore corporis sumitur: tamen, neque dentibus teri, neque in stomachum traici. Ceterum cum hoc non sit manducare, vel spiritualiter: (hoc enim fit ab interiore homine per solam fidem) vel corporaliter: (hoc enim fit, cum cibus non tantum ore capitur, sed etiam dentibus attritus, in stomachum traicitur:) & ista pars alteri concedat: corpus Domini non teri dentibus, nec traici in ventriculum: ac proinde re ipsa concedat: corpus Christi non manducari verè corporaliter: id quod tamen verbis contendit: quis non videat hanc etiam esse inanem *λογωμαχίαν*, ex illa priori de reali & corporali escæ spiritualis cum symbolis vnione, profectam? præsertim verò quia ipsimet negant corpus Christi esse in pane localiter: negant igitur illud idem in ore nostri corporis, cum manducatur esse localiter: sed aiunt, Ibi, hoc est, in ore nostro esse, sicut est in pane: modo scilicet imperceptibili, & tamen reali: & consequenter solidum & animatum corpus à solido, & animato, sensibusq; prædito corpore, tangi quidem ac manducari, nec tamen sentiri: atq; hæc miracula esse, sed inuisibilia & imperceptibilia: tantum verò credenda. cum quis igitur mensam Domini accedit: huic esse credendum: se non tantum fide, sed etiam ore corporis, corpus Christi manducare. Quod quæso quid aliud est, quàm sola quadam credulitate manducare? Nam credere, te corporaliter manducare id, quod nullo modo sentis à te corporaliter māducari: nil aliud est, quàm credulitate, hoc est falsa imaginatione manducare. Vtraque pars in eo consentit: corpus Christi in Cœna, fide manducari. Quod igitur altera pars adiecit de corporali manducatione, quæ non sentitur, sed tantum credenda est: quis non videat, inutilem, superuacaneam, atque inanem esse contentionem? præsertim cum Ego ipse audierim ex non vulgari huius alterius partis, quæ Lutherum sequitur, homine: se & alios suos non ita dicere, corpus Christi à nobis corporaliter manducari, quasi illud Christi corpus, os & corpus nostrum attingat (hoc enim esse falsum:) sed tantum propter sacramentalem vnionem, qua id quod propriè competit pani, attribuitur etiam quodammodo ipsi corpori Christi: se hac locutione uti.

Septimum caput. Quod ad conuiuas huius Cœnæ attinet: primum vtraque pars consentienter docet: ad hanc Cœnam non esse admittendos homines, vel infideles, vel hæreticos, vel prophanos, ac scelerosos. Proinde cum peragenda est Cœna: omnes tales excommunicantur: & si quis audeat accedere: agnitus arcetur. Deinde quia inter eos qui accedunt, & mensa Domini communicantur *ὡς ἰπὶ τὸ πλῆθος*, sunt alij verè pij, hoc est vera fide præditi: alij hypocritæ, hoc est, non vera fide præditi: Idcirco quod ad verè pios attinet: vtraque pars docet: ab iis verum Christi corpus, seu spiritualem escam, verè percipi & manducari, idque ad æternam salutem. Quamquam inter hos etiam pios sunt, qui magis, & sunt qui minùs dignè ad mensam Domini accedant: & escam spiritualem manducant. Quod ad impios hypocritas attinet, pars illa, quæ sentit, sola, eaque viua & actuali fide: spiritualem escam manducari: cum in confesso sit, hypocritas hac fide non esse præditos: inde concludit, ab hypocritis carnem Domini veram, minimè manducari: præsertim cum māducare carnem Domini sit, carne Dominicali nutriri, sustentari in spirituali vita: qua vita omnino destituti sunt hypocritæ. ij enim non viuunt ex fide, neq; in Christo, nec Christus in eis. Illis autem duntaxat Christus est esca: quibus etiam est vita: proinde Christum tantum ab illis māducari, in quibus etiam viuit. Id quod præter alia argumēta dicto etiam Augustini confirmat: quod in libro D. Prosperi, cui titulus est, liber sententiarum ex D. Augustini operibus, sententia 339. habetur. Escam vitæ accipit: &

æternitatis

æternitatis poculum bibit: qui in Christo manet: & cuius Christus habitator est: nam qui discordat à Christo: nec carnem eius māducat, nec sanguinem bibit: etiam si tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat. Altera verò pars quæ sentit corpus Christi cum symbolo panis, realiter & corporaliter esse coniunctum, & proinde non tantum fide, sed etiam ore corporis vnà cum pane manducari: concludit: non solum igitur à verè piis: sed etiam ab ipsis hypocritis, cum manducant panem, ipsum quoque corpus Domini verum manducari: sed ita tamen: vt sicut à piis ad salutem, sic ab hypocritis impiis ad condemnationem manducetur: præsertim verò, quia (inquit) ipsi etiam hypocritæ fide, licet mortua, præditi sunt: & cum hac fide ad mensam Domini accedunt. Quare si fide corpus Christi manducatur: ergo sicut à piis ad vitam manducatur: quia fide viuam manducant: ita ab ipsis etiam hypocritis manducari, sed ad mortem: quia fide manducant, sed mortua. Hæc eadem tamen pars fatetur: etsi corpus Domini coniunctum sit cum pane, eo quo supra dictum est modo: si tamen vel mus, vel etiam homo prorsus infidelis panem comedat: nullo modo corpus Domini, ab illis manducari. Quare? quia, inquit, sunt prorsus sine vlla fide: sine vlla autem penitus fide non potest hæc spiritualis esca manducari. Deinde eadem non inficiatur, nec inficiari potest: quin fidem esse mortuam, & fidem esse non veram, respectu credentis, idem planè sint. Hinc verò consequitur: sicut igitur manducare fide viuam, est manducare (vt ita loquar) viuificè, id est, ad vitam: & manducare fide mortua, est manducare mortaliter, id est, ad mortem: sic manducare fide non vera, nihil aliud esse, quàm manducare non verè. Hoc autem quid aliud est: nisi, non igitur verum esse: corpus Domini verum, ab hypocritis verè manducari: si fide vera non manducant? Quare cum idem re ipsa etsi verbis diuersum, hæc etiam altera pars cū superiore de conuiuiis, quoniam verè, & non verè manducet corpus Domini, hoc est, Dominum ipsum, concludat: nempe à piis vera fide præditis illud verè manducari: ab hypocritis autem non vera fide præditis, etiam non verè manducari: quis non videat hanc quoque de impiorum manducatione contentionem, sicut de aliis etiam reliquis duabus demonstrauius, meram esse *λογομαχίαν*? Et dici vtrumque posse: corpus Domini, hoc est, Dominum ipsum ab impiis hypocritis non manducari, nempe verè: & tamen manducari, nempe non verè: quia: (vt inquit Augustinus) sacramentotenus tantum: sicut & Apostolus de Patribus omnibus in deserto, tam piis, quàm impiis, qui manna manducarunt, ait: Omnes eandem escam spirituales (Christum) manducasse: sed quomodo? subintelligendum est: suo quemque modo. Quia scilicet pii non tantum sacramentum, sed etiam rem sacramenti perceperunt fide vera, ideoque verè Christum manducarunt: Impii verò quia sine fide vera, sacramentum tantum, sine re sacramenti perceperunt: (hoc autem est Christum sacramentotenus manducare:) ideoque Christum non verè manducarunt. Postquam enim sic locutus est Apostolus de omnibus, tam piis quàm impiis: mox subdit: sed non in omnibus illorum (qui scilicet escam spirituales Christum manducarunt, nempe in impiis) sibi benè complacuit Deus: seu non omnes probauit: sed tantum pios. Tres igitur illas quæstiones, quæ de Cæna Domini inter nos adhuc controuertuntur: Primam de corporali præsentia corporis Christi in Cæna. Alteram de carnali manducandi modo, nempe per os corporis: & hanc postremam de manducatione hypocritarum & impiorum: etsi inutiles, meo iudicio, sunt contentiones, cum possint faciliè conciliari, tam impias tamen quæstiones esse non iudico: vt propterea Ecclesiæ nostræ sint damnandæ: quasi alterutræ non sint veræ Ecclesiæ: quod de hoc sacramento inter se nondum consentiant. Quot enim & quantæ fuerunt controuersie inter Græcas & Latinas Ecclesias? neque tamen propterea aut illæ ab istis aut istæ ab illis, quasi non veræ essent Ecclesiæ: damnatæ vnquam fuerunt. Illud tamen fateor: mihi cum omnibus piis vehementer displicere: hæc adhuc inter nos vigere dissidia:

QQQ 2 quod,

quòd, quantam remoram adferant cursui Euangelij: non ignoremus.

Precor itaque Dominum Iesum Christum: tandem aliquando omnium Ecclesiarum misereatur: efficiatq; sua gratia: ut omnes tam quæ à Romana defecerunt, quàm quæ adhuc sub illa degunt, veram ac perpetuam (id quod non ego tantum: sed omnes pij ardentissimis votis exoptant) in vera ac pura doctrina: puro ac sincero cultu, denique in ipsis etiam ceremoniis, & in disciplina Ecclesiastica consensionem, id eoque & pacem & charitatem à patre misericordiarum consequantur.

Non dubito: quin permulti sint in Ecclesia Romana viri pij atque docti: qui hanc pacem & concordiam percipiant, ac pro sua virili curent. Dominus igitur horum omnium studia feliciter promoueat.

Habes hîc, charis. Compater, quæ de hoc dissidio cœnæ Dominicæ ad illum Episcopum scripserim. Adhæc adiicio illa, quæ de ratione reformandarum Ecclesiarum cum illo eodem Episcopo contuleram, certis & breuib; thesibus comprehensa.

EIVSDEM ZANCHI DE VERA RE-
FORMANDARVM ECCLESIA RV M RATIONE,
VEL, SI MAVIS, DE REGVLA CONCILII,

Theses Analytica.

I.

Omnes homines cupiunt viuere, idque feliciter, atque æternum. Omnes igitur (nisi prorsus Epicuræi, & perditæ sint) desiderio tenentur viæ, qua ad æternam, beatamq; vitam perueniri possit, cognoscendæ.

II.

Omnes homines post Adæ peccatum, ut ingenio, prudentia & rerum humanarum cognitione præditi sint: in iis tamen, quæ ad Deum, ideoque tum ad æternam vitam, tum ad viam, qua ad æternam vitam peruenitur, cognoscendam pertinent: cæci sunt: iuxta illud Apostoli. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: & mendaces: iuxta illud Daudis, Omnis homo mendax. Nihil igitur vel veri vel certi de viâ æternæ vitæ, seu de religione homines à sua tantum sapientia, & prudentia ducti de finire possunt.

III.

Solus Deus quæ sit hæc certa ad vitam æternam viâ, non solum nouit: sed etiam verbo suo partim per Prophetas, partim per suum Filium hominem factum, partim denique per Apostolos mundo reuelauit, ac patefecit. Ex solo igitur Dei verbo per Prophetas, Christum, & Apostolos hominibus prædicato, hæc viâ, id est, vera religio disci potest, ac debet.

IV.

Certum Dei verbum esse illud, quod in Scripturis Canonicis continetur, hoc est, quidquid ibi nomine Dei vel narratur, vel mandatur, vel promittitur, aut ad mandata, promissiones & Euangelium pertinet: apud Christianos omnes extra controversiam est. Sentire igitur atque definire de religione iuxta verbum Dei Scripturis Canonicis contentum: res est tutissima, & securissima.

V.

Quidquid porro est in Ecclesiis, tam Romana, quàm aliis: illud vel est secundum verbum Dei in iis Scripturis Canonicis contentum, ac declaratum; vel est contra verbum